

## PROLEGOMENA

1. **Quam necessarium sit, ut novum linguae palaeoslovenicae lexicon edatur**, perspicue et in omnibus studiis slavici et in propinquis litterarum disciplinis apparet atque sentitur. Quo lexico praesertim in philologia slavica opus est, cum in omnium linguarum slavicarum studio comparativo, tum in studio historiae plurimarum linguarum slavicarum singularium, in quibus lingua palaeoslovenica multum valuerit. A tempore Cyrilli et Methodii, quod fuerat eius origo, lingua palaeoslovenica maiores, haudquaquam angustis unius cuiusdam loci finibus terminatas partes agebat. Quae cum artem atque interdum intimam rationem cum plurimis litterariis linguis slavici haberet, multa ad eas excolendas contulit atque apud nonnullas nationes slavicas per longum tempus ea sola linguae litterariae vice fungebatur. Penetravit etiam in terras non slavicas, praesertim ad Romanos Dacos. Insigne ea documentum est, quam altum doctrinae ac humanitatis gradum Slavi saeculo nono, decimo, undecimo obtinuerint, et ipsa cum excultis linguis antiquis comparari potest. Praeterea cognitio rerum, quae in litteris ea lingua scriptis testimoniis confirmatae perscribuntur, in studio cultus atque humanitatis byzantino-slavicae, in studiis litterarum, iuris historiae, historiae liturgiae slavicae al. maximi est momenti.

2. **De vetustioribus huius generis operibus.** Quod novo accuratoque adiumento ad linguae palaeoslovenicae vocabulorum ubertatem agnoscendam opus est, etiam ex ea re efficitur, quod vetustiora huius generis opera prorsus desunt, quo fit, ut etiam hodie nobis pauca, iam diu exoleta vel manca et nostri temporis doctrinae parum idonea opera adhibenda sint. Unicum idemque amplum lexicon ecclesiasticoslavicum (non solum palaeoslovenicum) etiam hodie est Miklošiči *Lexicon palaeoslovenico-graeco-latinum emendatum auctum*, Vindobonae a. 1862—1865 editum, cuius merita profecto immensa sunt, cuius autem fundamenta praecipue in posterioribus monumentis ecclesiasticoslavici constant, non in monumentis vetustissimis, quae sexagesimis praeteriti saeculi annis, cum hoc lexicon emissum est, magnam partem nondum nota aut nondum edita erant. Praeter hoc opus solum lexica posteriora tempora spectantia nobis praesto sunt, singulares linguae ecclesiasticoslavicae redactiones — si hoc verbo uti licet — aut artum quoddam monumentorum genus, vocabulorum, quae in singularibus monumentis occurrunt, explicationes, vocabularia chrestomathiis adiuncta, indices verborum, quae in monumentis palaeoslovenicis continentur. Commemorandum est lexicon ecclesiastico-slavicum, quod A. Ch. Vostokov Petropoli a. 1858—1861 edidit (*Словарь церковно-славянскаго языка*), cuius fundamentum sunt libri manuscripti russo-ecclesiasticoslavici; nominemus grande opus Ismailis I. Sreznevskij, simili modo constitutum, *Материалы для словаря древне-русского языка по письменным памятникам*, cuius copia verborum ex vetustis documentis russicis petita est, item librum *Речник из књижевних старина српских*, quem Dj. Daničić composuit (Beograd 1863—1864); afferamus exempli causa vocabulorum explicationes Vatroslavi Jagić, qui in vocabulis linguae palaeoslovenicae perscrutandis operam ponere non cessabat.<sup>1</sup> Haec opera, aequae ac materia in indicibus et minoribus vocabulariis collecta<sup>2</sup> possunt

<sup>1</sup> Cf. vocabulorum evangeliorum palaeoslovenicorum explicationem, quae in eius prooemio ad Račkii editionem codicis Assemani continetur (Franjo Rački, *Assemanov ili Vatikanski evangelistar*, Zagreb 1865, LXVII—LXXXVII); *Quattuor evangeliorum versionis palaeoslovenicae Codex Marianus glagoliticus*, Berolini 1883, 463—474; *Entstehungsgeschichte der kirchenslavischen Sprache*, Berlin 1913, 281—479; *Zum altkirchenslavischen Apostolus II*, Wien 1919—1920.

<sup>2</sup> Novum doctrinae adiumentum, quod ediderunt L. Sadnik et R. Aitzetmüller, *Handwörterbuch zu den altkirchenslavischen Texten*, Heidelberg 1955, haberi potest pro utili demonstratione indicum ex vetustissimis monumentis confectorum; alioqui autem solum ad primam informationem de vocum occursu idoneum est.

esse — prout elaborata sunt — adiumentum, maioris aut minoris pretii, ad novum atque completum lexicon linguae palaeoslovenicae componendum.

3. **Studiorum slavlicorum cultores Bohemi**, quibus munus talis novi lexici conficiendi mandatum est, in hac opera sequuntur praeclaram doctrinae traditionem operum linguam ecclesiasticoslavlicam tractantium, praecipue eorum, quae in eius vocabulis explanandis versantur. Iam Iosef Dobrovský, studiorum slavlicorum parens, cum opus suum quod inscribitur *Institutiones linguae slavicae dialecti veteris* (Vindobonae 1822) pararet, Vindobonae una cum Bartholomaeo Kopitar etiam lexico ecclesiasticoslavlico operam dabat. In ea parte Institutionum, in qua de vocum formatione agitur, copiosa continetur expositio de vocabulorum radicibus, de suffixis derivativis, de singulis vocum generibus formandis; qua re simul linguae ecclesiasticoslavicae vocabulorum ubertas explicatur, quae explicatio nonnumquam etiam stratificationem in ea ubertate occurrentem spectat, ita ut haec pars posterioribus Jagići explanationibus antecesserit. Accedit quod Dobrovský in uno quoque vocabulo explicando latinam eius interpretationem afferre solet atque omnino eius sententiam accuratissime studet reddere. Etiam ea re Dobrovský optime meritus est, quod auctoritate ingenii sui doctrina exculi ostendit, quanti momenti esset linguae ecclesiasticoslavicae studium. Quo praecedente studium linguae palaeoslovenicae per totum undevicesimum et vicesimum saeculum apud Bohemos coli non desinit; cuius rei testimonium sunt ea, quae tales viri doctissimi elaboraverunt, qualis fuit Pavel Josef Šafařík (1795—1861), Leopold Geitler (1847—1885, qui in universitate Zagrebensi professoris munere fungebatur), František Pastrnek (1853—1940), Jiří Polívka (1858—1933), Václav Vondrák (1859—1925), Miloš Weingart (1890—1939), Josef Páta (1886—1942), Jan Frček (1896—1942, cui etiam nostri lexici praeparatio cordi erat); ex eis qui adhuc vivunt commemoretur saltem Josef Vajs (natus 1865), studiorum slavlicorum apud Bohemos Nestor, textuum ecclesiasticoslavlicorum editor ac perscrutator optime meritus. Propter maximam operam eorum, qui ante nos doctrinae nostrae fundamenta posuerunt eiusque primi auctores fuerunt, possumus hodie ad magna munera in hoc genere perficienda accedere, in quibus lexici ecclesiasticoslavici praeparatio primum locum obtinet.

Tale opus via et ratione aggressus est Václav Vondrák, qui consilium cepit comparare lexicon, quod vetustioris Miklošiči lexici vicem expleret. Cum per multos annos lexici materiam collegisset, opus ad finem perducere ei non contigit. Schedulae ab eo relictas sex capsulas mensurae 21 × 26 × 18,5 cm implent; formae sunt quaternariae numerusque earum ad 6000 est. Lemmatum circiter tertia pars iam elaborata est, cetera autem aut imperfecta aut solum inchoata sunt. Praeterea in septima minore capsella haud multa materia cum annotationibus et minoribus schedulis praecurrentibus continetur. Sui lexici fundamentum Vondrák initio esse voluit explicationes lingua teutonice scriptas, postea autem — cum Brunam venisset — in bohemicam linguam transferebat. Materiam sui lexici, initio latissime patentem, quam insuper ex Materialibus Sreznevskii et lexico Miklošiči et Daničiči supplebat, posterius sermone praesertim evangeliorum terminavit — varietates diversorum, etiam posteriorum, evangelicorum textuum respiciens, — textu psalmodiarum aliisque Scripturae libris. Vondrák — quod valde dolendum est — nullas annotationes reliquit, quae indicarent quatenus sua materia absoluta et perfecta esset et ex quibus fontibus eam hausisset. Iam Miloš Weingart ostendit<sup>3</sup> Vondrákii materiam non esse plenam, solum partem lemmatum esse elaboratam et circiter 75 % operae restare navandum, ut opus ad finem perduceretur; quod iudicium nobis denuo materiam Vondrákii perscrutantibus comprobatum est. Si pro fundamento restantis operae eius materiam adhibere voluissemus, recognoscenda nobis fuissent omnia, quae iam in lexico continentur atque alia omnia supplere, id est excerptandi operam denuo perficere. Quae cum ita essent, magis ex re esse videbatur totum opus denuo ab ipso initio aggredi. Tamen Vondrákii materia interdum adiumentum esse potest in nostra materia recognoscenda vel in nostra lemmatum elaboratione, alicubi fortasse etiam quasi dux ad solvendas quaestiones, quae ad hunc vel illum obscurum locum illustrandum aut ad vocabuli sententiam definiendam attinent; si quid tale occurrerit, accurate notabimus rem esse ex Vondrákii materialibus receptam.

<sup>3</sup> Cf. eius commentationem *O slovníku jazyka staroslověnského*, Symbolae grammaticae in honorem Ioannis Rozwadowski II, Cracoviae 1928, 227—246, praesertim p. 243, ubi iudicium de Vondrákii materia concluditur.

Pari modo se habet materia, quam Miloš Weingart parandam curavit, cui a philosophica facultate universitatis Masarykianae Brunensis mandatum erat, ut post mortem Venceslai Vondrák eius opus persequeretur. Weingart ad lexicon conficiendum non statim ipse accessit, sed nonnullis suis discipulis mandavit, ut excerptionem quorundam monumentorum aut retractarent aut denuo perficerent. Quae nova excerptio nulla certa via ac ratione, sed diversis modis peragebatur: singula testimonia non in singulis schedulis perscribebantur, saepe non afferebatur vocabuli cum textus compage cohaerentia, nonnumquam graeci archetypi verba deerant, materialia manca erant et Weingart praematura morte impeditus est, quominus ea recognosceret. Itaque nobis persuasimus ne hanc quidem materiam pro palaeoslovenici lexi fundamentum adhiberi posse, cum laboriosius atque impensius esset eam supplere quam novam recognitam et systematicam excerptionem perficere. Quae materia nisi perquam modice pro adiumento novi operis adhiberi non poterit.

Quo factum est ut anno 1943, cum operam in lexico palaeoslovenico instauraremus, ab ipso initio nobis incipiendum esset.

**4. De opere ab anno 1943 perfecto et qui sit hoc tempore eius status.** Cum Miloš Weingart d. 12 m. Ianuarii a. 1939 de vita decessisset, opus per aliquod tempus desertum remansit. Gravissimi venerunt anni, cum libertas nostra hostili occupatione oppressa sit, universitates nostrae a d. 17 m. Novembris usque ad nostrae rei publicae liberationem clausae et ad lexi materiam diu nullus esset accessus. Operis persequendi initium a Societate linguarum slavicarum studii profectum est, ubi ego in oratione auctore Ioanne Frček, Societatis negotiorum curatore, d. 8 m. Maii a. 1942 habita proposui operam in lexico palaeoslovenico condendo persequendam esse simulque rationes exposui, quae mihi in hac re observandae videbantur.<sup>4</sup> Quae oratio habita est tempore cruenti illius furoris teutonici, quo uno mense post etiam Jan Frček interemptus est. Mea oratione et disputatione quae eam sequebatur factum est, ut Societas linguarum slavicarum studii consilium ceperit in partem operae quae parabatur venire. Post meam orationem statim de hoc consilio Udalricum Hujer, Bohemicae academiae scientiarum et artium secretarium generalem, certiozem feci, qui opem Academiae pollicitus est. Qui cum haud ita multo post, d. 4 m. Iunii a. 1942, praematuram mortem obiisset, aliquot mensium spatio intermisso, d. 30 m. Octobris a. 1942 auctore Bohuslao Havránek in tertia Academiae classe speciale collegium lexico palaeoslovenico conficiendo constitutum est, cui primum Bohuslav Havránek (1943—1948) praesidebat, post eum Josef Vajs (1948—1952). Collegii socii primum erant Josef Vašica, Vladimír Šmilauer, Josef Kurz; huic mandatum est, ut collegii negotia gereret. Ab anno 1948 collegii sociis accesserunt Antonín Dostál et Karel Horálek. Operae ordinandae ab ipso initio intererant etiam Regia Bohemica societas scientiarum et Institutum slavicum. Collegium ad munera sua praestanda cancellarium constituit, cuius negotia primum Josef Kurz, postea Antonín Dostál regebant; cum parallela lexi condendi officina etiam Brunae constituta esset, eius administratio Antonino Mátl mandata est. Nova negotiorum regendorum ordinatio, cum ortu novae Bohemoslovenicae academiae scientiarum coniuncta, sub finem anni 1952 eo modo perfecta est, ut collegium quod supra diximus in lexi redactionem immutatum atque Instituto slavico academiae scientiarum Bohemoslovenicae adiunctum sit. Cui redactioni ab illo tempore praesidet Josef Kurz, eius negotia gerunt Antonín Dostál et Markéta Štěrbová, praeter quos redactionis socii sunt Bohuslav Havránek, Karel Horálek, Josef Vašica, František Václav Mareš, Ant. Mátl; redactionis cancellario aliquot novi, qui opus facerent, attributi sunt.

Ab initio operae suae collegium, postea redactio lexi conficiendi ad certam materiam comparandam diligentiam adhibebat. Elaboratae sunt accuratae excerptendi et transscribendi normae, destinatae sunt monumenta, quae plene quaeque solum varietatibus respectis excerpterentur, constituebantur exemplarium agnoscendorum adiumenta; nonnumquam accuratius paranda erat elaboratio quaestionum singula monumenta contingentium (velut ad excerptendam et elaborandam materiam textus Apostoli, Paroemiarii, Euchologii Sinaitici). Ad excerptendum optimae editiones electae sunt, nonnumquam textus membranulis phototypicis adhibitis recognoscebatur, immo interdum etiam ex codicibus luce depictis textus ad excerptendum parabatur. Lexici redactio plus

<sup>4</sup> Cf. commentationem: Jos. Kurz, *Můj návrh na pokračování v přípravných pracích o staroslověnském slovníku* in collectaneis Pocta Fr. Trávníčkovi a F. Wollmanovi, Brno 1948, 286—309.

decies centena milia schedularum excerpta continentium comparavit, quarum maior pars schedulae cum lemmatibus palaeoslovenicis sunt, ceterae in lemmata conversa [graeco-palaeoslovenica, latino-palaeoslovenica, theodisca (teutonica dialecti veteris superioris)-palaeoslovenica] et in revocationes sunt collatae. Monumentis excerptendis operam dederunt omnes lemmatum auctores, nonnulli redactores multique cooperatores alii.

Ad schedulas conformandas haec praecepta probata sunt:

a) Lemmata scribuntur in singulis schedulis litteris cyrillicis orthographia palaeoslovenica ad certam normam redacta; nomina et pronomina in forma nominativi singularis, verba in forma infinitivi; apud unumquodque vocabulum notatur, quae sit pars orationis, apud nomina genus, apud verba sitne verbum imperfectivum an perfectivum.

b) Apud unumquodque vocabulum affertur idem valens vocabulum graecum aut — si exemplar latinum est — latinum aut — si idem exemplar linguae theodiscae est — respondens vocabulum huius linguae. Sequitur interpretatio bohémica, in cuius terminatione semper respicitur locus textus palaeoslovenici, de quo agitur, ne mechanica quae dicitur vocis graecae, latinae vel teutonicae existat translatio.

c) Sub lemmatis capite notatur vocabuli iunctura quae est in testimonio, in quo vocabulum occurrit, eiusque forma.

d) Sub hac accuratiore terminatione affertur litteris cyrillicis testimonium ita, ut in sui enuntiati iunctura occurrit, sine ulla accommodatione orthographica. Operae accelerandae causa textus de quo agitur in schedulis instrumento Ormig multiplicatur, ita ut excerptor schedulam iam textum slavicum et graecum (vel latinum vel theodiscum) continentem accipiat, ne eo describendo commoretur.

e) Unicuique testimonio adiungitur locus exemplaris originalis, id est non solum vocabulum exemplaris in lemmate, sed etiam totus locus exemplaris post testimonium palaeoslovenicum allatum.

f) Unusquisque locus accuratissime indicatur.

g) Simul paratur brevis schedula revocativa graeco-palaeoslovenica vel latino-palaeoslovenica vel theodisco-palaeoslovenica (quae schedulae dimidiam magnitudinem schedularum ad normam directarum habent). Usu cognitum est necessarium esse etiam tales schedulas instituere, ex quibus appareret vocabulum in translatione palaeoslovenica ultro suppletum esse (ubi in graeco vel alio originalis exemplaris textu nihil est, cui hoc vocabulum respondeat).

h) Simul etiam tales schedulae parantur, in quibus variarum lectionum revocationes continentur, apud verbum auxiliare verbi significativi, apud vocabulorum iuncturas al.

Hoc modo larga materia comparata est, quae iam hodie ad studia slavistica magnum momentum affert firmaque crepido est, qua fundari possit cum lexicis paratio, tum etiam aliarum linguae palaeoslovenicae partium investigatio.

Hoc fundamento usi ac post accuratam disceptationem rationum, quae ad textus basim lexicis parandi attinent, ad lemmatum constitutionem, praesertim etiam ad modum morphologicorum et omnino grammaticorum indiciorum lemmatibus adiunctorum, ad quaestionem de vocabulis parallelis et idem valentibus,<sup>5</sup> ad lemmata primum temptandi modo constituenda, tum perfecte elaboranda accessimus et ad redactionis operam in lexicon conferendam; praeterea excerptio simul peragi non desinit.

Fructus operae praeparatoriae fuit fasciculus speciminis causa a. 1956 editus (*Slovník jazyka staroslověnského — ukázkový sešit; Lexicon linguae palaeoslovenicae — specimen*, 36 paginae textus et 4 paginae involucri), qui ad omnes, quorum id intersit, domi peregreque dimissus est petitione addita, ne suas criticas admonitiones consiliaque ulteriorem operam spectantia nobiscum communicare gravarentur. Omnes admonitiones, quae ad nos pervenerunt, attente in sessione auctae redactionis d. 22 m. Martii a. 1957 habita disceptatae sunt.

**5. Quam late pateat materia, quae lexicis fundamentum est.** Satis constat diversissimas sententias prolatas esse iudicantium, quam late patere deberet materiae excerptio ad linguae palaeoslovenicae lexicon praeparandum; cuius quaestionis disceptandae multi eorum, qui studiis slavice operam dant, participes fuerunt. Praeter opinionem lexicon initio — in primo operae ponendae statu et

<sup>5</sup> Quaestiones de palaeoslovenico lexico conformando tractabantur primum in consilio de slavice linguarum studio comparativo Olomucii a. 1953 habito (cf. quae Josef Kurz ibi rettulit: *Dnešní stav přípravných prací pro vydání slovníku staroslověnského jazyka a problematika jeho zpracování*; quae relatio in ephemeride *Slavia* 22, 1953, 300—310 in publico proposita est una cum disceptationis summa ibid. p. 313); postea in consilio de lexico palaeoslovenico et de lexico linguarum slavice etymologico in Liblice diebus 26—28m. Aprilis a. 1954 habito, ubi referebant et verba fecerunt B. Havránek, J. Kurz, K. Horálek, J. Vašica, A. Dostál, F. V. Mareš, V. Kvas, M. Štěrbová, cf. subtilem relationem Iosephi Kurz et Radoslai Večerka in *Slavia* 24, 1955, 123—145.

respectu eorum, quae studio idonea sint — monumentis quae canonica vocantur terminandum esse etiam contraria opinio enuntiata est, i. e. lexico amplectendam esse vocabularum copiam non solum in antiquissimae aetatis monumentis inventam, i. e. aetatis Cyrilli et Methodii, sed etiam in monumentis posterioribus bohemo-ecclesiasticoslavicis, mediobulgaricis, serbo-ecclesiasticoslavicis, croatoglagoliticis, praecipue vero russo-ecclesiasticoslavicis. Ab ipso initio autem non eramus nescii tam grande munus — quod sine dubio nostras facultates, et technice et tempore definitas, superaret et cuius elaboratio longi temporis esset — in primo operae conferendae gradu suscipi non posse neque nos ingentem vocabulorum copiam omnium ecclesiasticoslavicorum monumentorum statim complecti valere, sed impraesentiarum opere angustius terminato contentos esse debere. Quam ob rem probata est sententia, ut interim lexicon mediae amplitudinis pararetur, quod materiam saltem ex antiquissimo litterarum palaeoslovenicarum tempore collectam complecteretur, id est ex monumentis, quae ex illo tempore servata aut in illo tempore orta essent. Haec sunt monumenta canonis qui vocatur textuum classicorum, tum textus biblici, liturgici, hagiographici, homiletici, textus ad iurisprudentiam pertinentes, textus, qui prima aetate operae, quam apostoli slavici eorumque discipuli in transferendo posuerunt, confecti sunt (etiamsi tempore canonico servati non sint) et textus, qui appellantur bohemo-ecclesiasticoslavici, qui huc propter linguae et cultus historiae rationes referuntur.

Itaque interim neque parvum lexicon, quod studii adiumentum sit, paramus, antiquissimis textibus classicis fundatum, neque amplum ecclesiasticoslavicae linguae thesaurum; verumtamen eiusmodi opera posteriore nostri laboris tempore paranda ex mentis conspectu non amittimus.

**6. De excerptionis modo et materia utenda.** In materia colligenda plenam perficiebamus excerptionem. Etiam in materia redigenda omnem materiam, quam quidem adipisci potuerimus, ex certa quadam monumentorum parte collectam, exhaurimus (de qua in articulo qui praecedit exposuimus). Haec ratio in ea cognitione constat, quod in linguis, quae solum scriptis litteris servatae sunt et in quibus materia traditione terminatur, pro quibusdam vocabulis vel saltem pro quibusdam vocum significationibus abundans materia nobis praesto est, pro aliis exigua; quam ob rem unumquemque certi cuiusdam vocabuli usum plus aut minus valere, ex quo certa quaedam concludi possint. Praeterea cum in linguis, quae solum scriptis litteris notae sunt, velut etiam in lingua palaeoslovenica, ad fidem vocabuli usus comprobendam necesse sit omnes usus testimonio confirmatos novisse, in linguis vivis hoc necessarium non est, quoniam fidem testimoniorum electorum viva linguae conscientia probare possumus. Ergo ad omnem materiam spectamus; omnia lemmata, quae adipisci possimus, afferemus, exhauriemus, elaborabimus; elaborabimus praesertim etiam „hapax legomena“, quae existunt, cum vocabulum aut vocabuli quaedam significatio semel occurrit, neque locos obscuros, immo vero ne menda quidem quae vocantur neglegemus. Quae menda aliquando re vera menda esse constat, quae nobis a cetera materia separanda sint; alia autem, quae menda videntur esse ac non sunt, accurate deliberare debemus. Tales singulares casus omnibus rationibus explicare nobis temptandum esse censemus.

**7. In quas linguas significationes vocabulorum in lemmatibus allatorum convertamus.** Nostrum lexicon plurium linguarum est. Significationes in eo afferuntur et bohemicis et russicis et teutonice, ex parte etiam latine; praeterea afferuntur etiam respondententes loci graeci vel latini vel theodisci (secundum linguam archetypi), non solum in titulo, cum vocabulorum significatio indicatur, sed etiam in singulis testimoniis. Lingua latina in nostro lexico singularem habet usum, quippe quae sit lingua cum parallelorum locorum latini archetypi, velut in fragmentis Kijevensibus, tum parallelorum indirectorum [apud textus biblicos, ubi iuxta locum parallelum graecum etiam eius vetus interpretatio secundum Vulgatam (aut Italam) affertur, vel in codice Suprasliensi, ubi etiam parallela dictio vetustioris interpretationis affertur, quae in Actis sanctorum et in Patrologia graeca continetur]. Lingua latina etiam ad significationem vocabulorum exprimendam adhibetur, ubi archetypum servatum non est, velut in quibusdam textibus codicis Suprasliensis et Euchologii Sinaitici; lingua latina denique in explicationibus adhibetur. Itaque in lemmatum significationibus afferendis aliquot variis linguis utimur, atqui nonnihil inter eas interest: lingua bohémica, russica,

teutonica sunt linguae, quibus vocabulorum sententiam interpretamur, cum lingua graeca, alias latina, lingua theodisca dialecti superioris sint linguae parallelorum archetypi originalis, quae, ut ostendemus, non semper significationibus respondent.

8. De quaestionibus, quae ad significationes definiendas attinent. In significationibus definiendis haec praecipue observamus:

a) Archetypi parallela non licet putare eadem esse atque significationes.

In significationibus definiendis significationes ipsae accurate a parallelis archetypi discernendae sunt. Quoniam translationes palaeoslovenicae maximam partem e lingua graeca versae sunt, praecipue de parallelis graecis comprehendendis agitur. Non est dubium, quin parallela saepe, immo maximam partem, at non semper, cum allatis lemmatum significationibus congruant.

Iam omnium primum dicendum est nos archetypa nonnullorum textuum palaeoslovenicorum (velut codicis Suprasliensis, Euchologii Sinaitici, nonnullorum textuum homileticorum, Foliorum Kijeversium al.) non tam accurate novisse quam textuum biblicorum, etsi etiam hic nostra archetyporum originalium status notitia manca est; quamquam si interpretatio palaeoslovenica cum graeco exemplari non congruit, editionibus biblicorum textuum graecorum, amplis apparatus criticis instructis, haud parum adiuvamur. Satis constat graecos textus, qui ad singulas codicis Suprasliensis partes pertinent, plerumque libere eidem argumento respondere, raro accurate; saepe habes graecos textus alterius recensioneis aut alium eiusdem recensioneis codicem. Similiter orationes palaeoslovenicae, quae in Euchologio Sinaitico continentur, interdum ab originalibus textibus graecis testimonio confirmatis haud parum abhorrent. Ita etiam fragmentis Kijeversibus cum respondentibus textibus latinis comparatis statim apparet, quanta sit alterius ab altero distantia.

Archetyporum autem et translationum distantia non solum ea re efficitur, quod hoc tempore veros textus originales parum novimus, sed interdum in textuum natura constat et in ratione, quae inter translatores aut saltem scribas et textus archetyporum intercedit. Est enim, quod hoc attinet, differentia quaedam inter textus biblicos et liturgicos ab hac parte et textus hagiographicos, homileticos al. ab illa parte. Ubi non agebatur de ipso textu Scripturae, licebat translatoribus liberius procedere quam eis, qui textus biblicos et liturgicos vertebant; licebat eis variis modis a graecis exemplaribus discedere, licebat nonnumquam hunc vel illum locum libere secundum propriam eius intelligentiam comprehendere.

Si tamen etiam ad testimonia velut ex codice Suprasliensi hausta archetypi parallela afferimus, haud neglegendum nobis est periculum, quod susciperemus, si temere translationes slavicas cum notis graeci archetypi textibus compararemus. His omnibus deliberationibus admonemur, ne in definiendis significationibus vocabulorum servili, ut dicitur, modo archetypi parallela sequamur, ut a graeco quidem archetypo initium capiamus, sed ei non obnoxii, ut ipsi secundum orationis contextum de sententia locorum, de quibus agitur, deliberemus.

b) Cautione et diligentia adducimur, ne antiquam linguam ad hodiernam nostram vocabulorum sententiae perceptionem referamus neve, si forte vocabulum in lemmate atque in lingua hoc lemma interpretanti pariter sonet, in errorem rapiamur. Omnibus viis ac rationibus in condicionem linguae antiquorum textuum penetrare conamur, rei statum in eis descriptum reconstruere studemus et ita antiquum enuntiandi modum mente percipere.

c) Semper nobis conscius sumus notionum systemata quarumlibet duarum linguarum inter se non adaequare, sed saepe vocabula lemmatum et vocabula quae lemmata interpretantur paria existimari non posse. Quae res etiam in linguis vivis ita se habet, plus autem valet in linguis antiquis, quae solum litteris scriptis servatae sunt. Quod ita deficit, variis modis supplere studemus: in significationibus comprehendendis aliquot synonyma afferimus, vocabuli notionem pluribus verbis exponimus, latiore contextum allegamus al. Ante omnia materia ipsa innitimur, cui iuxta nos, interdum etiam pro nobis loquendum erit, quae nobis tamquam firma basis est, a qua discedere non licet. In synonymis afferendis sane utraque ratio respicienda est, ita ut non solum synonyma ad significationem comprehendendam afferantur, sed etiam ut lemmatum synonyma observentur,

quae ex graeco-palaeoslovenico indice, qui nobis praesto est, agnosci possunt. Denique in significationibus constituendis id agitur, ut sententia uniuscuiusque loci accurate comprehendatur et quae singula observando cognoscuntur ut ad universa referantur.

d) Quamquam nostrum lexicon in universum linguarum studium spectat, tamen etiam res, quae lemmate designantur, ei explicandae sunt, item nomina propria, artium vocabula; ut exemplum afferamus, nominibus sanctorum festi eorum diem adiungimus, nominibus geographicis definitionem geographicam.

e) Sequitur quaestio, quatenus lexicon palaeoslovenicum significationes verborum cotidiani sermonis Slavorum noni et decimi saeculi complecti possit. Nostrum esse putamus sub crusta exultae linguae religiosae etiam vivae linguae vocum significationes exquirere et prae multitudine significationum religiosarum etiam omnia testimonia proponere, in quibus significatio vivae linguae propria continetur. Proferendis ac premendis eis, quae in lingua viva apparent, quoad in nostra materia continentur lexicon linguae palaeoslovenicae maioris fit momenti quam speciale lexicon antiquae linguae ecclesiasticoslavicae.

f) Quod ad significationum ordinem attinet, procedendum nobis esse proposuimus a significationibus principalibus, magis generalibus, ad speciales, cum interea etiam id spectamus, quomodo vocabulorum vis tempore progrediente mutetur et quanta sit cuiusque significationis frequentia. In unoquoque singulari casu sane perdifficile est praestituere, qua ratione lemmatis exstructio dirigenda sit; significationum disponendarum rationes apud unumquodque lemma ex ipsa materia petendae sunt.

**9. Praecepta de forma lemmatum exstruendorum** infra afferuntur. Seorsum etiam id addimus, quod in nostro lexico, quoad necesse erit, etiam annotationes ad vocabulorum morphologiam et syntaxim pertinentes continebuntur, quibus non omnia neque res evidentes exponuntur, sed semper ea, quae ad primam informationem et pro singularibus casibus necessaria esse videantur.

Latine reddidit univ. prof. Dr. *Fr. Novotný*

*Josef Kurz*